



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

414. De Immaculata Conceptione. De adhærentia B Virginis Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

De Immaculata Conceptione. 735

ipfi de nobis statuere debemus, qui tanto intervallo distamus ab Apostoli & Xaverij perfectione, qui postquam Chinas conversurus erat, per septentrionem redire voluit in Europam, & inibi Tartariam, terraque redux Africam, atque ita totum, quâ latè patet, orbem uni Deo subijcere. Orabo corâ Venerabili Orationem S. Francisci Xaverij.

Neque ad amandum te Domine, movet cor meum illud coelum, oblatum in præmium bene te amanti, neque ille a deo communis me movet horror, quod, qui te non amat, ei infernus fit apertus. Tu moves, ô mi Deus! mi Redemptor! quem in hac cruce video suffixum, movet me corpus adeò dilaceratum; movent clavi, sanguis, dolores; movent opprobria tua, & mors, quam pro me reo perpeffus es. His me moves DEVS meus ad tam sincerum amorem, qui integer durabit, etsi præmium cœli, & exilium inferni deficerent ex toto. Nil mihi dando habere potes amorem meum, quia nil sperando te amo, & amabo, quia es Deus meus.

MEDITATIO CCCXCIV.

De Immaculata Conceptione.

De adherentia B. V. Deo.

Aspiciam B. Virginem sine umbra labis totam lucidam, amictam sole gratiæ. Petâ partem aliquam ejus gratiæ, *Conf.*

736 *De Immaculata Conceptione.*

Conf. 1. Homo, ut similis sit Deo in vita, debet juxta regulam rationis vivere, non verò sensûs, qui moribus Dei contrarius est: & quia opera Dei perfecta sunt, data est vis & virtus homini, quâ semper vivere posset juxta rationem. Hac virtute spoliati sumus per labem originale, ita, ut quod bestiis est naturale, hoc nobis sit ex poena. Et in hanc maculam, ut permittat Deus labi suam Matrem futuram? absit, quin potius gratulabor Divæ tam raram gratiam.

Conf. 2. Immaculatam Virginem visâ hinc omni creaturâ, inde Creatore, tergo creaturis obverso, adhæsisse Creatori super omnem altitudinem prosperitatis, super omne profundum miseræ, super omnem vim corporalem & spiritualement creatam, dixissèq; illud Ps. 72. *Mihi autem adherere Deo bonum est. Hoc totum bonum est, vultis amplius? doleo volentes!* inquit D. Augustin. in Psal. 72.

Conf. 3. Et dolebo commune malum perditæ gratiæ, & juris ad cœlum; gratias agam de remedio: petam per merita Christi & Immaculatæ Virginis preces, levari maculam ab universis, qui concipiuntur. Petam & me amplius emundari, dicendo: Væ cæcitati, quâ te non agnovi: væ tempori, quo te non amavi. Deinceps mihi adherere Deo bonum est. *Quid mihi est in cœlo, &c.*
Hunc

Hunc affectum adhaerentiae frequentabo
singulis Communionibus.

MEDITATIO CCCCXV.

De S. Thoma.

*Quid obsit, quidve prosit fructus
Communionis.*

Aspiciam D. Thomam conversum ad pe-
des Christi, humillimè Dominum con-
fitemem. Petam ejus fervorem imitari.

Conf. 1. Tria fuerunt in Thoma converso,
humilis proprii lapsus recognitio, devota
intentio, fidelis confidentia manifesta per
adorationem vulnerum Christi. Conabor
agnoscere praesentiam horum vulnerum, ex-
pendendo, quod ea sint, Abyssi perfectio-
num divinarum, Altaria virtutum, Anchoræ
Spei, Aquæ fragrantæ, dulces & amaræ,
Alvearia, Balnea, Canales, Civitas refugij,
Emporia, Favus cum melle, Fenestræ cœpli,
Flores, Fodinæ, Fontes, Foramina petrae,
Fornax accensa, Foveæ nivis, Gloria patien-
tium, Hortuli, Hospitia, Incenuva martyrij,
Lavacra, Lectuli, Libri, Linguae, Lux patens
& abdita, Magnes cordium, Mamilla divina,
Mare rubrum, Medicinæ, Mors culpæ &
penæ sensuum & concupiscentiæ, Myrrha
cum aromatibus, Naves onerariæ, Nidus
divini amoris, Nubes fecundæ, Oblatio sa-
crificij